



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem& perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

§.VII. Litanix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

pacificus, quod majori mihi longè honori duco, quàm splendidos aliorum titulos, & encomia aureis & argenteis laminis incisa, optoque unice, ut cum veritate illum aliàs mihi familiarem versum S. Gregorii in agone possim reperere :

*Nullum turbavi, discordes pacificavi,  
Læsus sustinui, nec mihi complacui.*

Ad me magis magisque in his propositis confirmandum, & symbolam meam in id conferendam, ut quilibet experiatur, Societatem à S. Xaverio jure appellatam esse *Sodalitium amoris*. Excitabo me sæpiùs suavitate colloquiorum, quæ inter se in cælo habebunt, qui hac in vita Fratres fuere in Christo, & quibus Christus ipse commilitones suos in æternum recreabit. Hæc est, & fuit praxis cujusdam, ut supra insinuavi. Tu selige, quod libuerit.

Porrò quomodo intelligenda sit regula, quòd colloquiorum materia esse non debeant dissidia ac bella nationum ac Principum, quòdque erga cæteros semper nos bene affectos esse oporteat, patebit ex adferendis animadversione quintâ sequente. Quæ si serventur, fructuosa semper & jucunda erunt colloquia nostra.

§. VII.

LITANIÆ.

Post recreationem pomerid. orantur *Litania Lauretana*, post vespertinam *omnium Sanctorum* in Prov. Rheni infer. ubi iterum signum

perfectionis est, si his juxta ordinem diei præscriptum constanter intersis, easque devotè & animo collecto ores cum cæteris, persuasum tibi habens, quòd oratio à pluribus in Christo sibi devinctis fratribus alacriter & cum fervore fusa cælos penetret. Si enim *exaudita sunt preces eorum* (Saræ & Tobiaë) *in conspectu gloria summi DEI, & missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatae.* Tob. 3. Cur non & eadem erit ponenda fiducia in precibus, & quidem Ecclesiæ sanctæ DEI communibus (in quibus absque eo meritò magna locatur fiducia) cum fervore à pluribus simul in Christo Fratribus recitatis? tantùm dolendum, si in communi precum istarum recitatione sæpiùs ità fuisti distractus, ut vel ad contentum precum non attendens, vel ne quidem, instar bovis muti, cum aliis oraris. Ad hæc evitanda quidam, dato ad Litanias orandas signo, se paulisper recolligens solebat imaginari sibi, aperiri cælum, DEUM in sede Majestatis suæ considerare, afferri ei ab Angelis *thymiamata, quæ sunt orationes Sanctorum*, & Seniores viginti quatuor *circumamiculos vestimentis albis cum coronis aureis in capite.* Apoc. 3. sive tot Sanctos, quot in Litanis invocantur, & benedictam maxime DEI Matrem assurgere, & DEO commendare præsentem omnes suum patrocinium invocantes. Certè vivax imaginatio devotionem acuet, & multas impedit distractiones. Idem suprà memoratus, revelationem P. Martino Gutierrez factam

ctam

etiam recolens, intuebatur se & confratres suos pallio B. V. contextos, flexis sub pallio isto genibus eam invocantes, & quoties ab iis dicitur, *ora pro nobis*, toties beatissimam DEI Matrem eos Filio suo commendare sibi imaginabatur.

Quidam vir insignis à doctrina & virtute in Provincia nostra celebris, morti proximus alteri viro gravi dixit, summo sibi esse solatio, quòd communem diei ordinem præscriptum semper exactè servârit, & ne vel medius ullo die quadrans à multis annis ipsi effluerit, quem non præmeditatè certæ cuidam sibi ab ante præscriptæ occupationi impenderit, & hic immediatè post Litanias medium quadrantem insumebat indies adnotandis vel doctis ac ingeniosis, vel piis, aut etiam jocosis salem sapientiæ admixtum habentibus, quæ vel in lectione ad mensam, vel in recreatione, vel aliàs per diem audierat, legerat, & inde thesaurum non contemnendum in proprium & proximi bonum sibi paulatim comparavit. Jam videamus ulterius, quomodo regula de dissidiis Principum in colloquium non adducendis, & de æquo erga externos,

Patriotas, &c. affectu sit intelligenda, & in praxin deducenda.

